



PHOCYLIDÆ POEMA

ADMONITORIUM.

Nec furtivas nuptias sectare, neque lascivam Venerem exerce.

Neque dolos necte, neque sanguine manum pollue.

Neque ditescas injustè, verùm ex justè partis vive.

Sis contentus præsentibus, & ab alienis abstineto.

5. Mendacia ne dicas, vera verò omnia loquere.

Primum Deum cole, deinde tuos parentes.

Omnibus justa tribue, neque iudicium ad gratiam facias.

Ne abjicias pauperem, injustè nec judica personam.

Si (enim) tu malè judicaveris, Deus te deinde judicabit.

10. Testimonium falsum fugito, justa verò loquere.

Virginitatem custodi, fidem quoque in omnibus serva.

Mensuras tribue justas: modus namque in omnibus bonus est.

Libram ne pulses alteram, verùm æqualiter trahe.

Neque pejerabis, neque inscienter neque volenter:

15. Deus (enim) immortalis odit (eum) quicumque perjurium jurarit.

Semina nec furare, execrabilis (est) quicumque furatus (ea) fuerit.

Mercedem mercenario solve, neque afflige pauperem.

(In) lingua mentem habe, arcanum (quoque) verbum in pectore contine.

Neque injustè agere velis, neque injuriantem juvabis.

20. Mendico autem da statim, neque, cras venire, dicas.

Tuam manum implens, misericordiam egenti exhibe.

Exulem in domum recipe, & ducito cæcum.

Naufragos miserare, quia navigatio dubia (est.)

Manum lapso porrige. Et juva destitutum auxilio virum.

25. Com.